

IN LIBRUM TERTIUM

E P I T O M A.

Fama prosperæ pugnae ad Coloniam commissæ ad urbem falso delata, in discrimen nocturni tumultus civitatem abduxit: Mellita frustra tentavit ex Brixia Veronam transire: Nicolaus Æstensis res novas in Venetos molitus est: Veneti Polesinum Æstensi restituere: Mellita per juga Alpium laboriosa expeditione Veronam transiit: Classis ingens per Padi fluentia in Mantuanos fines est adacta: Brixia vehementi pressa est oppugnatione: Patres de fœdere cum Sforcia renovando agere cœperunt: Mellita copiarum imperium adeptus, Brixiam commeatu levare statuit: Paris Ludronus ad Sarcam fluvium prospere in hostes pugnavit: Veneti classem circa Benacum instruere sunt adorti: Triremes per altissimos montes in ipsum lacum actæ: Sforcia cum Venetis & Florentinis fœdus percussit: Picininus & Mantuanus Princeps, Athesi superato, multa Veronensis & Vincentini agri oppida Veneto ademerunt: Veneti ad Benacum prospere in hostes terrestri prælio dimicavere.

